13.

Aequationes modulares pro transformatione Functionum Ellipticarum.

(Auctore Dr. *L. A. Sohnke*, prof. math. Halae.)

Integrale $\int_0^y \frac{\partial y}{\sqrt{(1-y^2)}.\sqrt{(1-\lambda^2 y^2)}}$ substitutione adhibita:

$$y = \frac{x(a+a'x^2+a''x^4+\ldots+a^{(m)}x^{2m})}{1+b'x^2+b''x^4+\ldots+b^{(m)}x^{2m}}$$

in eius simile $\int_0^x \frac{\partial x}{\sqrt{(1-x^2)}.\sqrt{(1-\varkappa^2 x^2)}}$ transformari potest, quae transformatio $n^{ti}=(2m+1)^{ti}$ ordinis nominatur. Relationes analyticas inter y et x, λ et $\varkappa$ intercedentes Cl. *Jacobi* in libro suo: *Fundamenta nova* etc. docuit. Ibi pag. 39 invenitur:

$$\sqrt[4]{\lambda} = \sqrt[4]{\varkappa^n}.[\sin\operatorname{coam}4\omega.\sin\operatorname{coam}8\omega\ldots\sin\operatorname{coam}2(n-1)\omega],$$

ubi significant:

$$\omega=\frac{mK+m'iK'}{n},\quad K=\int_0^{\frac{\pi}{2}}\frac{\partial\varphi}{\sqrt{(1-\varkappa\varkappa\sin\varphi^2)}},\quad K'=\int_0^{\frac{\pi}{2}}\frac{\partial\varphi}{\sqrt{(1-\varkappa'\varkappa'\sin\varphi^2)}},$$
$$\varkappa\varkappa+\varkappa'\varkappa'=1.$$

Numerum n, qui ordinem transformationis indicat in sequentibus numerum primum ponamus, quem ad casum notum est reliquos revocari posse.

In fractione ω quantitatibus m et m' omnes valores et positivos et negativos, ipso n minores, tribui licet, verum l. c. pag. 49 demonstratur, omnes transformationes diversas, quae exstare possint, evasuras esse, si pro ω elegerimus valores hos:

$$\frac{K}{n},\quad \frac{iK'}{n},\quad \frac{K+iK'}{n},\quad \frac{K+2iK'}{n},\quad \frac{K+3iK'}{n},\quad \ldots\quad \frac{K+(n-1)iK'}{n},$$

qui in formula ipsius λ pro ω positi $(n+1)$ inter se diversos valores moduli λ per $\varkappa$ expressos praebent, unde elucet aequationis algebraicae inter λ et $\varkappa$, quae aequatio modularis dicitur, gradum esse $(n+1)$. Pro transformatione et tertii et quinti ordinis aequationem ejusdem gradus adeo inter radices quadraticas modulorum locum habere Cl. *Jacobi* docuit, nec non pro septimo ordine Dr. *Guetzlaff* (in hujus Diarii Tom. XII. p. 173): idem valere pro transformatione cujusvis ordinis ex sequentibus patet.

§. 1.

Formula laudata:

$$\sqrt[4]{\lambda} = \sqrt[4]{\varkappa^n}.[\sin\operatorname{coam}4\omega.\sin\operatorname{coam}8\omega\ldots\ldots\sin\operatorname{coam}2(n-1)\omega],$$

cum sit: $\sin\operatorname{coam}8p\omega = \sin\operatorname{coam}(4n\omega - 8p\omega) = \sin\operatorname{coam}4(n-2p)\omega$, ubi $(n-2p)$ est numerus impar, quoniam ponitur n numerus primus, etiam scribi potest:

$$\sqrt[4]{\lambda} = \sqrt[4]{\varkappa^n}.[\sin\operatorname{coam}4\omega.\sin\operatorname{coam}12\omega\ldots\ldots\sin\operatorname{coam}4(n-2)\omega],$$

qua in expressione alia multipla ipsius 4ω non inveniuntur, nisi imparia. Quorum sinus coamplitudinis tanquam functiones ipsius $\sin\operatorname{coam}4\omega$ repraesentari posse satis notum est, ita ut, denotante $f[\sin\operatorname{coam}4\omega]$ functionem ipsius $\sin\operatorname{coam}4\omega$ rationalem, efficiatur:

$$\sqrt[4]{\lambda} = \sqrt[4]{\varkappa^n}.f[\sin\operatorname{coam}4\omega], \quad \text{aut posito:} \quad \sqrt[4]{\lambda} = v, \quad \sqrt[4]{\varkappa} = u,$$

$$v = u^n.f[\sin\operatorname{coam}4\omega].$$

Haec vero in formula loco ω, valore ipsius v eodem manente, scribi posse ω, 2ω, 3ω, ... $\frac{n-1}{2}\omega$ facile intelligitur, unde prodit:

$$\frac{v}{u^n} = f[\sin\operatorname{coam}4\omega] = f[\sin\operatorname{coam}8\omega]\ \ldots\ldots = f[\sin\operatorname{coam}2(n-1)\omega],$$

vel etiam:

$$\frac{v^p}{u^{np}} = \{f[\sin\operatorname{coam}4\omega]\}^p = \{f[\sin\operatorname{coam}8\omega]\}^p\ldots\ldots = \{f[\sin\operatorname{coam}2(n-1)\omega]\}^p$$

$$= \frac{2}{n-1}.\Sigma\{f[\sin\operatorname{coam}4m\omega]\}^p$$

si numero m omnes valores 1, 2, 3, ... $\frac{n-1}{2}$ tribuuntur.

Habemus ergo singulos valores ipsius v sequentes:

$$v_1 = u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8K}{n}\ldots\ldots\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)K}{n}\right] = u^n f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K}{n}\right],$$

$$v_2 = u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4iK'}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8iK'}{n}\ldots\ldots\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)iK'}{n}\right] = u^n.f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4iK'}{n}\right],$$

$$v_3 = u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K+4iK'}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8K+8iK'}{n}\ldots\ldots\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)K+2(n-1)iK'}{n}\right]$$

$$= u^n.f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K+4iK'}{n}\right],$$

$$v_4 = u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K+8iK'}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8K+16iK'}{n}\ldots\ldots\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)K+4(n-1)iK'}{n}\right]$$

$$= u^n.f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K+8iK'}{n}\right],$$

. . . .

$$v_{n+1} = u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K+4(n-1)iK'}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8K+8(n-1)iK'}{n}\ldots\ldots\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)K+2(n-1)^2iK'}{n}\right]$$

$$= u^n.f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K+4(n-1)iK'}{n}\right]$$

aut:

$$\frac{n-1}{2}\cdot\frac{\nu_1^p}{u^{np}} = \Sigma\left\{f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4mK}{n}\right]\right\}^p,$$

$$\frac{n-1}{2}\cdot\frac{\nu_2^p}{u^{np}} = \Sigma\left\{f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4miK'}{n}\right]\right\}^p,$$

$$\frac{n-1}{2}\cdot\frac{\nu_3^p}{u^{np}} = \Sigma\left\{f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4m(K+iK')}{n}\right]\right\}^p,$$

$$\frac{n-1}{2}\cdot\frac{\nu_4^p}{u^{np}} = \Sigma\left\{f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4m(K+2iK')}{n}\right]\right\}^p,$$

. . . .

$$\frac{n-1}{2}\cdot\frac{\nu_{n+1}^p}{u^{np}} = \Sigma\left\{f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4m[K+(n-1)iK']}{n}\right]\right\}^p,$$

unde additione facta eruitur:

$$\frac{n-1}{2}\cdot\frac{\nu_1^p+\nu_2^p+\nu_3^p+\ldots+\nu_{n+1}^p}{u^{np}}$$

$$= \Sigma\left\{f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4m(K+m'iK')}{n}\right]\right\}^p + \Sigma\left\{f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4miK'}{n}\right]\right\}^p,$$

ubi numero m valores 1, 2, 3, ... $\frac{n-1}{2}$, numero m' valores 0, 1, 2, 3, ... $n-1$ conveniunt. Verumtamen, cum $\sin\operatorname{coam}(u+2iK') = \sin\operatorname{coam} u$ sit, formula ita transformari potest ut factor ipsius iK' ipso $2n$ minor fiat, quo obtinetur:

$$\frac{u-1}{2}\cdot\frac{\nu_1^p+\nu_2^p+\nu_3^p+\ldots+\nu_{n+1}^p}{u^{np}} = \Sigma\left\{f\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4mK+4m'iK'}{n}\right]\right\}^p,$$

si pro m ponuntur 0, 1, 2, 3, ... $\frac{n-1}{2}$, pro m' 0, ±1, ±2, ±3, ... $\pm\frac{n-1}{2}$, ita tamen ut quoties $m=0$, et ipsi m' valores tantum positivi 1, 2, 3, ... $\frac{n-1}{2}$ tribuantur. Ut hanc formulam eandem esse ac praecedentem eluceat, animadverto et hanc et illam ex $\frac{nn-1}{2}$ terminis inter se diversis constare neque numerum m diversos quam in priori formula valores assumere.

Nunc demonstremus functiones symmetricas ipsius $\sin\operatorname{coam}\frac{4mK+4m'iK'}{n}$ esse functiones rationales ipsius $\varkappa$.

In auxilium vocamus ex *Fund.* pag. 42 formulam:

$$1-\lambda\sin\operatorname{am}\left(\frac{u}{M},\lambda\right) =$$

$$\frac{(1-\varkappa.\sin\operatorname{am}u).[(1-\varkappa.\sin\operatorname{am}u.\sin\operatorname{coam}4\omega)(1-\varkappa.\sin\operatorname{am}u.\sin\operatorname{coam}8\omega)\ldots(1-\varkappa.\sin\operatorname{am}u.\sin\operatorname{coam}2(n-1)\omega)]^2}{(1-\varkappa^2.\sin^2\operatorname{am}u.\sin^2\operatorname{am}4\omega)(1-\varkappa^2.\sin^2\operatorname{am}u.\sin^2\operatorname{am}8\omega)\ldots(1-\varkappa^2.\sin^2\operatorname{am}u.\sin^2\operatorname{am}2(n-1)\omega)},$$

vel cum sit: $\frac{(1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u.\sin\mathrm{coam}\,\alpha)^2}{1-\varkappa^2.\sin^2\mathrm{am}\,u.\sin^2\mathrm{am}\,\alpha} = \frac{(1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(u+\alpha))(1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(u-\alpha))}{\triangle^2\mathrm{am}\,\alpha}$:

$$(A)\qquad 1-\lambda\sin\mathrm{am}\left(\frac{u}{M},\lambda\right) =$$
$$\frac{(1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u)(1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(u+4\omega))(1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(u+8\omega))\dots(1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(u+4(n-1)\omega))}{\triangle^2\mathrm{am}\,4\omega.\triangle^2\mathrm{am}\,8\omega\dots\triangle^2\mathrm{am}\,2(n-1)\omega},$$

In hac aequatione poito $\omega = \frac{iK'}{n}$ ex notatione $\S^i$ 24. *Fund.* producitur:

$$1-\lambda_1\sin\mathrm{am}\left(\frac{u}{M_1},\lambda_1\right) =$$
$$\frac{[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u]\left[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\left(u+\frac{4iK'}{n}\right)\right]\left[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\left(u+\frac{8iK'}{n}\right)\right]\dots\left[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\left(u+\frac{4(n-1)iK'}{n}\right)\right]}{\triangle^2\mathrm{am}\frac{4iK'}{n}.\triangle^2\mathrm{am}\frac{8iK'}{n}\dots\triangle^2\mathrm{am}\frac{2(n-1)iK'}{n}}.$$

Mutando $\varkappa$ in λ, quo facto K' in Λ', λ_1 in $\varkappa$, M_1 in M' transit, et posito $\frac{u}{M}$ loco u, unde $\frac{u}{MM'} = nu$ loco $\frac{u}{M_1}$, obtinemus:

$$(B.)\qquad 1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(nu,\varkappa) =$$
$$\frac{\left[1-\lambda.\sin\mathrm{am}\frac{u}{M}\right]\left[1-\lambda.\sin\mathrm{am}\left(\frac{u}{M}+\frac{4i\Lambda'}{n}\right)\right]\left[1-\lambda.\sin\mathrm{am}\left(\frac{u}{M}+\frac{8i\Lambda'}{n}\right)\right]\dots\left[1-\lambda.\sin\mathrm{am}\left(\frac{u}{M}+\frac{4(n-1)i\Lambda'}{n}\right)\right]}{\triangle^2\mathrm{am}\frac{4i\Lambda'}{n}.\triangle^2\mathrm{am}\frac{8i\Lambda'}{n}\dots\triangle^2\mathrm{am}\frac{2(n-1)i\Lambda'}{n}},$$

in cujus aequationis parte dextra Modulus λ valet.

Si porro in aequatione $(A.)$ loco u ponimus $u+\frac{4m'iK'}{n}$, unde $\frac{u}{M}$ transit in $\frac{u}{M}+\frac{4m'iK'}{nM} = \frac{u}{M}+\frac{4m'i\Lambda'}{n}$, posito $\omega = \frac{K}{n}$, prodit:

$$1-\lambda.\sin\mathrm{am}\left(\frac{u}{M}+\frac{4m'i\Lambda}{n}\right) = \frac{\Pi\left[1-\varkappa\ \sin\mathrm{am}\left(u+\frac{4mK+4m'iK'}{n}\right)\right]}{\left[\triangle\mathrm{am}\frac{4K}{n}.\triangle\mathrm{am}\frac{8K}{n}\dots\triangle\mathrm{am}\frac{2(n-1)K}{n}\right]^2}.$$

si ipsi m valores $0, 1, 2, 3, \dots n-1$ tribuuntur; jam ubi hac in aequatione ipsi m' tribuantur valores $0, 1, 2, 3, \dots n-1$, facto producto secundum aequationem $(B.)$ obtinemus:

$$1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(nu,\varkappa) =$$
$$\frac{\Pi\left[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\left(u+\frac{4mK+4m'iK'}{n}\right)\right]}{\left[\triangle\mathrm{am}\frac{4K}{n}.\triangle\mathrm{am}\frac{8K}{n}\dots\triangle\mathrm{am}\frac{2(n-1)K}{n}\right]^2\left[\triangle\mathrm{am}\frac{4i\Lambda'}{n}.\triangle\mathrm{am}\frac{8i\Lambda'}{n}\dots\triangle\mathrm{am}\frac{2(n-1)i\Lambda'}{n}\right]}$$

ubi utrisque m, m' valores $0, 1, 2, 3, \dots n-1$ conveniunt.

Quae formula facile etiam in hanc formam redigitur:

$$1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(nu,\varkappa)=(1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u)\Pi\frac{\left[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u.\sin\mathrm{coam}\frac{4mK+4m'iK'}{n}\right]^2}{1-\varkappa^2.\sin^2\mathrm{am}\,u.\sin^2\mathrm{am}\frac{4mK+4m'iK'}{n}}$$

si numero m positivi tantum valores $0, 1, 2, 3, \ldots \frac{n-1}{2}$, numero m' valores $0, \pm 1, \pm 2, \pm 3, \ldots \pm\frac{n-1}{2}$ tribuuntur, ita vero ut quoties $m=0$, et ipsi m' valores tantum positivi $1, 2, 3, \ldots \frac{n-1}{2}$ conveniant.

Haec formula vero pro $n=4p+1$ modo valet. Nam pro $n=4p-1$, cum valor ipsius M sit negativus, ita ut $\frac{u}{MM'}=-nu$ fiat, signum ipsius u in contrarium mutemus necesse est, unde sub hac conditione habemus:

$$1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(nu,\varkappa)=(1+\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u)\Pi\frac{\left[1+\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u.\sin\mathrm{coam}\frac{4mK+m'iK'}{n}\right]^2}{1-\varkappa^2.\sin^2\mathrm{am}\,u.\sin^2\mathrm{am}\frac{4mK+4m'iK'}{n}}.$$

Ut eandem quantitatem algebraice determinemus, ponamus in aequatione 18. *Fund.* pag. 33, quae est:

$$[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(u+v)].[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(u-v)]=\frac{[\Delta\,\mathrm{am}\,v-\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u.\cos\mathrm{am}\,v]^2}{1-\varkappa^2.\sin^2\mathrm{am}\,u.\sin^2\mathrm{am}\,v},$$

$u=2pu$ et $v=(2p-1)u$, quo invenitur:

$$[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(4p-1)u].[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\,u]$$
$$=\frac{[1-\varkappa.\sin\mathrm{am}\,2pu.\sin\mathrm{coam}(2p-1)u]^2.\Delta^2\,\mathrm{am}(2p-1)u}{1-\varkappa^2.\sin^2\mathrm{am}\,2pu.\sin^2\mathrm{am}(2p-1)u},$$

aut $\sin\mathrm{am}\,u$ per x significato et per X_m functione rationali et integra ipsius x dimensionis m^{tae}, cum notum sit fieri:

$$\sin\mathrm{am}\,2pu=\frac{\sqrt{(1-x^2)}.\sqrt{(1-\varkappa^2x^2)}\,X_{4p^2-3}}{X_{4p^2}},\qquad \sin\mathrm{am}(2p-1)u=\frac{X_{(2p-1)^2}}{X_{(2p-1)^2-1}},$$

$$\cos\mathrm{am}\,2pu=\frac{X_{4p^2}}{X_{4p^2}},\qquad \cos\mathrm{am}(2p-1)n=\frac{\sqrt{(1-x^2)}.X_{(2p-1)^2-1}}{X_{(2p-1)^2-1}},$$

$$\Delta\,\mathrm{am}\,2pu=\frac{X_{4p^2}}{X_{4p^2}},\qquad \Delta\,\mathrm{am}(2p-1)u=\frac{\sqrt{(1-\varkappa^2x^2)}.X_{(2p-1)^2-1}}{X_{(2p-1)^2-1}},$$

$$\sin\mathrm{coam}\,2pu=\frac{X_{4p^2}}{X_{4p^2}},\qquad \sin\mathrm{coam}(2p-1)u=\frac{\sqrt{(1-x^2)}.X_{(2p-1)^2-1}}{\sqrt{(1-\varkappa^2x^2)}.X_{(2p-1)^2-1}},$$

excutitur:

$$1-\varkappa.\sin\mathrm{am}(4p-1)u=\frac{(1+\varkappa x).[X_{8p^2-4p}]^2}{X_{16p^2-8p}};$$

nec minus ex aequatione 19. *Fund.* pag. 33, posito $u=(2p+1)u$,

$y = 2pu$ deducitur:

$$1 - \varkappa . \sin\operatorname{am}(4p+1)u = \frac{(1-\varkappa x).[X_{8p^2+4p}]^2}{X_{16p^2+8p}}.$$

Invenitur exempli gratia:

$$1 - \varkappa . \sin\operatorname{am} 3u = \frac{[1+\varkappa x].[1 - 2\varkappa x + 2\varkappa x^3 - \varkappa^2 x^4]^2}{X_8},$$

$$1 - \varkappa . \sin\operatorname{am} 5u = \frac{\begin{array}{l}[1-\varkappa x].[1 - 2\varkappa x - 4\varkappa^2 x^2 + 10\varkappa x^3 + 5\varkappa^2 x^4 - 4\varkappa(2+3\varkappa^2)x^5 \\ \quad - 4\varkappa^2(1-\varkappa^2)x^6 + 4\varkappa^3(3+2\varkappa^2)x^7 - 5\varkappa^4 x^8 - 10\varkappa^5 x^9 \\ \quad + 4\varkappa^4 x^{10} + 2\varkappa^5 x^{11} - \varkappa^6 x^{12}]^2\end{array}}{X_{24}},$$

$$1 - \varkappa . \sin\operatorname{am} 7u = \frac{\begin{array}{l}[1+\varkappa x]\,[1 - 4\varkappa x - 4\varkappa^2 x^2 + 4\varkappa(7+2\varkappa^2)x^3 - 14\varkappa^2 x^4 \\ \quad - 28\varkappa(2+3\varkappa^2)x^5 + 28\varkappa^2(1+4\varkappa^2)x^6 \\ \quad + 4\varkappa(8+51\varkappa^2+16\varkappa^4)x^7 - \varkappa^2(16+305\varkappa^2+144\varkappa^4)x^8 \\ \quad - 8\varkappa^3(16+25\varkappa^2+4\varkappa^4)x^9 + 8\varkappa^4(46+57\varkappa^2+8\varkappa^4)x^{10} \\ \quad + 56\varkappa^5(1+2\varkappa^2)x^{11} - 4\varkappa^4(56+161\varkappa^2+56\varkappa^4)x^{12} \\ \quad + 56\varkappa^6(2+\varkappa^2)x^{13} + 8\varkappa^4(8+57\varkappa^2+46\varkappa^4)x^{14} \\ \quad - 8\varkappa^5(4+25\varkappa^2+16\varkappa^4)x^{15} \\ \quad - \varkappa^6(144+305\varkappa^2+16\varkappa^4)x^{16} \\ \quad + 4\varkappa^7(16+51\varkappa^2+8\varkappa^4)x^{17} + 28\varkappa^8(4+\varkappa^2)x^{18} \\ \quad - 28\varkappa^9(3+2\varkappa^2)x^{19} - 14\varkappa^{10}x^{20} + 4\varkappa^9(2+7\varkappa^2)x^{21} \\ \quad - 4\varkappa^{10}x^{22} - 4\varkappa^{11}x^{23} + \varkappa^{12}x^{24}]^2\end{array}}{X_{48}}.$$

Coefficientes ipsius x in functionibus X obvii omnes sunt expressiones rationales integrae ipsius $\varkappa$, sicuti e theoria algebraica multiplicationis functionum ellipticarum constat. Unde etiam patet expressionem, quae in numeratore ad quadratum elata invenitur quamque supra invenimus $= \Pi\left[1 \pm \varkappa . \sin\operatorname{am} u . \sin\operatorname{coam}\frac{4mK+4m'iK'}{n}\right]$, esse functionem rationalem integram ipsius x et $\varkappa$, quare concludi potest functiones symmetricas quantitatum $\sin\operatorname{coam}\frac{4mK+4m'iK'}{n}$, ubi ipsi m et m' valores supra dicti tribuuntur, esse functiones rationales integras ipsius $\varkappa$.

§. 2.

Valores omnes ipsius y sive radices aequationis modularis analytice expressae, ut jam dictum est, impetrantur, si in expressione

$$y = u^n . [\sin\operatorname{coam} 4\omega . \sin\operatorname{coam} 8\omega \ldots . \sin\operatorname{coam} 2(n-1)\omega]$$

pro ω ponuntur valores:

$$\frac{K}{n},\ \frac{iK'}{n},\ \frac{K+iK'}{n},\ \frac{K+2iK'}{n},\ \ldots.\ \frac{K+(n-1)iK'}{n}.$$

Cum quibus illos valores, qui secundum Cl. *Jacobi* eruuntur, si in formula 7. *Fund.* pag. 89 quae est

$$(C.)\qquad u = \sqrt{2}.\sqrt[8]{q}.\left[\frac{(1+q^2)(1+q^4)(1+q^6)\ldots.}{(1+q)(1+q^3)(1+q^5)\ldots.}\right]$$

pro q valores: q^n, $q^{\frac{1}{n}}$, $\alpha q^{\frac{1}{n}}$, $\alpha^2 q^{\frac{1}{n}}$, ... $\alpha^{n-1} q^{\frac{1}{n}}$, in quibus α radicem quamlibet aequationis $x^n = 1$ significat, ponuntur congruere jam demonstremus.

α) Posito primum $\omega = \frac{K}{n}$, erit:

$$\nu_1 = u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8K}{n}\ldots.\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)K}{n}\right]$$

quod idem esse ac si in aequatione ($C.$) q^n loco q ponimus sequenti modo patet.

Si in *Fund.* pag. 88 formulam cos. am. per Δ am. dividimus, habemus:

$$\sin\operatorname{coam}\frac{2Kx}{\pi}$$

$$= \frac{2}{u^2}\sqrt[4]{q}.\cos x.\frac{(1+2q^2\cos 2x+q^4)(1+2q^4\cos 2x+q^8)(1+2q^6\cos 2x+q^{12})\ldots.}{(1+2q\cos 2x+q^2)(1+2q^3\cos 2x+q^6)(1+2q^5\cos 2x+q^{10})\ldots.}$$

$$= \frac{2}{u^2}\sqrt[4]{q}.\cos x\,\Pi\frac{1+2q^{2r}\cos 2x+q^{4r}}{1+2q^{2r-1}\cos 2x+q^{4r-2}},$$

ergo:

$$\nu_1 = u^n.\frac{2^{\frac{n-1}{2}}}{u^{n-1}}.\sqrt[4]{q^{\frac{n-1}{2}}}.\cos\frac{2\pi}{n}.\cos\frac{4\pi}{n}.\cos\frac{6\pi}{n}\ldots.\cos\frac{n-1}{\pi}\pi\times$$

$$\Pi\frac{\left(1+2q^{2r}\cos\frac{4\pi}{n}+q^{4r}\right)\left(1+2q^{2r}\cos\frac{8\pi}{n}+q^{4r}\right)\ldots..\left(1+2q^{2r}\cos\frac{2(n-1)\pi}{n}+q^{4r}\right)}{\left(1+2q^{2r-1}\cos\frac{4\pi}{n}+q^{4r-2}\right)\left(1+2q^{2r-1}\cos\frac{8\pi}{n}+q^{r-2}\right)\ldots.\left(1+2q^{2r-1}\cos\frac{2(n-1)\pi}{n}+q^{4r-2}\right)}.$$

Cum vero sit secundum theorema Cotesianum:

$$\left(1+2x\cos\frac{4\pi}{n}+x^2\right)\left(1+2x\cos\frac{8\pi}{n}+x^2\right)\ldots.\left(1+2x\cos\frac{2(n-1)\pi}{n}+x^2\right) = \frac{1+x^n}{1+x}$$

et $\cos\frac{2\pi}{n}.\cos\frac{4\pi}{n}.\cos\frac{6\pi}{n}\ldots.\cos\frac{n-1}{n}\pi = \pm\frac{1}{2^{\frac{n-1}{2}}}$, prout n sit $8p\pm 1$ aut $8p\pm 3$, eruitur

$$\nu_1 = \pm u\sqrt[4]{q^{n-1}}\,\Pi\frac{(1+q^{2nr})(1+q^{2r-1})}{(1+q^{n(2r-1)})(1+q^{2r})}$$

ubi signum multiplicatorium sic intelligendum est ut pro r deinceps 1, 2, 3, ... ad infinitum usque ponatur. Quod si revera fit nec non pro u valor ex aequatione scribitur, prodit:

$$\nu_1 = \pm\sqrt{2}.\sqrt[8]{q^n}.\left[\frac{(1+q^{2n})(1+q^{4n})(1+q^{6n})\ldots.}{(1+q^n)(1+q^{3n})(1+q^{5n})\ldots.}\right],$$

ubi positivum signum valet si n est formae $8p\pm1$, negativum autem pro $n=8p\pm3$.

β) Reliquae radices omnes sub hac forma comprehenduntur:

$$(D.)\qquad v=u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4mK+4m'iK'}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8mK+8m'iK'}{n}\dots\right.$$
$$\left.\dots\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)mK+2(n-1)m'iK'}{n}\right]$$

si m' aliquem numerorum 1, 2, 3, ... $(n-1)$ significat et m unitatem, hac vero conditione addita, ut pro $m'=1$ sit m ponendum tum $=1$, tum $=0$.

Applicata formula pro sin. coam., qua jam supra usi sumus, fit:

$$(E.)\qquad v=2^{\frac{n-1}{2}}.u.\sqrt[8]{q^{n-1}}.\Pi\left\{\cos\left(\frac{2mp\pi}{n}+\frac{2m'pi\pi K'}{nK}\right)\frac{\Pi\left[1+2q^{2r}.\cos\left(\frac{4mp\pi}{n}+\frac{4m'pi\pi K'}{nK}\right)+q^{4r}\right]}{\Pi\left[1+2q^{2r-1}.\cos\left(\frac{4mp\pi}{n}+\frac{4m'pi\pi K'}{nK}\right)+q^{4r-2}\right]}\right\}$$

qua in aequatione prius signum multiplicatorium indicat productum esse formandum ex omnibus terminis, qui eruuntur si pro p deinceps 1, 2, 3, ... $\frac{n-1}{n}$ ponuntur, altera vero signa ad r referuntur ita ut pro r sit ponendum 1, 2, 3, ... ∞.

Ad productum accuratius dilucidandum adnotabo formulas:

$$\cos x=\frac{e^{ix}+e^{-ix}}{2}=\tfrac{1}{2}e^{-ix}[1+e^{2ix}]$$

et cum sit $q=e^{-\frac{\pi K'}{K}}$,

$$\frac{1+q^{2r}.\cos 2x+q^{4r}}{1+q^{2r-1}.\cos 2x+q^{4r-2}}=\frac{\left[1+e^{-\frac{2r\pi K'}{K}+2ix}\right].\left[1+e^{-\frac{2r\pi K'}{K}-2ix}\right]}{\left[1+e^{-\frac{(2r-1)\pi K'}{K}+2ix}\right].\left[1+e^{-\frac{(2r-1)\pi K'}{K}-2ix}\right]};$$

quibus adhibitis invenitur:

$$v=2^{\frac{n-1}{2}}.u.\sqrt[8]{q^{n-1}}.\Pi\left\{e^{-\frac{2mpi\pi}{n}+\frac{2m'p\pi K'}{nK}}.\left(1+e^{\frac{4mpi\pi}{n}-\frac{4m'p\pi K'}{nK}}\right)\times\right.$$
$$\left.\frac{\Pi\left[1+e^{-\frac{2r\pi K'}{K}+\frac{4mpi\pi}{n}-\frac{4m'p\pi K'}{nK}}\right].\left[1+e^{-\frac{2r\pi K'}{K}-\frac{4mpi\pi}{n}+\frac{4m'p\pi K'}{nK}}\right]}{\Pi\left[1+e^{-\frac{(2r-1)\pi K'}{K}+\frac{4mpi\pi}{n}-\frac{4m'p\pi K'}{nK}}\right].\left[1+e^{-\frac{(2r-1)\pi K'}{K}-\frac{4mpi\pi}{n}+\frac{4m'p\pi K'}{K}}\right]}\right\}.$$

Jam numerum integrum s determinemus ejusmodi qui satisfaciat congruentiae $2m's\equiv m$ (mod. n) aut si placet aequationi $2m's=m+\beta n$, denotante β numerum minimum, qui aequationem explere possit, et ponamus $e^{\frac{2si\pi}{n}}=\alpha$, quod α est radix aliqua aequationis $x^n=1$; tum $e^{-\frac{2r\pi K'}{K}\pm\frac{4mpi\pi}{n}\mp\frac{4m'p\pi K'}{nK}}$ aequabit

$$= \left(e^{-\frac{\pi K'}{nK}}\right)^{2nr\pm 4m'p} \left(e^{\frac{2si\pi}{n}}\right)^{2nr\pm 4m'p} = \left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2nr\pm 4m'p}$$

quoniam est:

$$\left(e^{\frac{2si\pi}{n}}\right)^{2nr} = 1.$$

Ita permutata aequatio ($E.$) formam induit hanc:

$$(F.)\quad \nu = u.\sqrt[8]{q^{n-1}}\,\Pi\left\{\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{-2m'p}.\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{4m'p}\right].\frac{\Pi\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2nr+4m'p}\right]\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2nr-4m'p}\right]}{\Pi\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{(2r-1)n+4m'p}\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{(2r-1)n-4m'p}\right]}\right\}.$$

Satis vero notum est per expressionem $2nr \pm 4m'p$, ratione signi non habita, omnes numeros pares repraesentari, si pro r omnes numeri $0, 1, 2, 3, \ldots \infty$, pro p vero omnes numeri $0, 1, 2, 3, \ldots \frac{n-1}{2}$ ponantur, quum congruentia $\pm 4m'p \equiv 2\gamma$ (mod. n), ubi γ numerum quemlibet integrum significat, semper solvi possit, idque unico tantum modo si n est numerus primus et p valorem ipso $\frac{n-1}{2}$ majorem assumere nequit. Itaque in numeratore:

$$\Pi\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2nr+4m'p}\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2nr-4m'p}\right]$$

pares potestates omnes inveniuntur, exceptis tum illis, pro quibus r valorem zero assumturum esset, tum illis, quorum exponentes ipsius $2n$ forent multipla; priores autem factore, qui huic producto praefixus est, $\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{4'mp}\right]$ exhibentur et reliquos accipies si numeratorem factoris u ($C.$) uti licet in hunc modum scribis:

$$\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2n}\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{4n}\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{6n}\right]\ldots.$$

Illos factores, qui potestates negativas continent, ergo hujus formae sunt $\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2\gamma}\right]$, mutamus in $\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{-2\gamma}\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2\gamma}\right]$.

Quae in numeratore cum ita sint atque in denominatore res plane similiter se habeat, valorem ipsius ν sequenti modo scribi licet:

$$\nu = \sqrt{2}.\sqrt[8]{q^n}.\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{-2m'.\frac{n^2-1}{8}}.\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{x}.\frac{\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{2}\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{4}\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{6}\right]\ldots.}{\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{3}\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{5}\right]\ldots.};$$

per $\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{x}$ significatur productum omnium factorum, qui in numeratore et in denominatore ex potestatibus negativis nascuntur. Ipsum x functionem esse ipsius m' facile perspicitur cum x valores diversos assumat pro diversis radicibus ν aut quod ad idem redit pro diverso valore ipsius m'.

Ponamus ergo $x = \Phi(m')$, tum erit:

$$(G.)\quad \nu = \sqrt{2}.\sqrt[8]{\left(\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{n^2-2m'(n^2-1)+8.\varphi(m')}\right)}.\frac{\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^2\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^4\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^6\right]\ldots.}{\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^3\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^5\right]\ldots.}.$$

Valor ipsius ν, qualis per aequationem ($D.$) repraesentatur, quoniam immutatus remanet, si $m'+zn$, cujus z numerum quemlibet integrum denotat, in locum ipsius m' cedit, inde consequitur, ut expressio ipsius ν quoque talis, qualem aequatio ($G.$) praebet, permutationi non sit obnoxia ulli, ubi $m'+zn$ pro m' scribitur. Atque cum praeterea vel α in eadem ipsa positione nullam permutationem subeat, aequatio ($G.$) transit in hanc:

$$\nu = \sqrt{2}.\sqrt[8]{\left(\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^{n^2-2zn(n^2-1)-2m'(n^2-1)+8.\varphi(m'+zn)}\right)}.\frac{\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^2\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^4\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^6\right]\ldots.}{\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^3\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^5\right]\ldots.}.$$

Ita quidem comparatione facta cum ($G.$) patet

$n^2-2zn(n^2-1)-2m'(n^2-1)+8.\Phi(m'+zn)$ aequare $= n^2-2m'(n^2-1)+8.\Phi(m')$

vel:

$$\Phi(m'+zn)-\Phi(m') = \frac{zn(n^2-1)}{4}$$

vel ex theoremate Tayloriano:

$$\frac{\partial\varphi(m')}{\partial m'}.zn+\frac{\partial^2\varphi(m')}{\partial m'^2}.\frac{z^2n^2}{1.2}+\ldots. = \frac{zn(n^2-1)}{4},$$

quod per zn divisum posito deinde $z=0$ praebet:

$$\frac{\partial\varphi(m')}{\partial m'} = \frac{n^2-1}{4}.$$

Integratione facta eruitur:

$$\Phi(m') = \frac{m'(n^2-1)}{4}+C.$$

Ut Constantem C determinemus, ponimus in ($G.$) $m'=1$, $m=0$, quo fit $\alpha=1$, tunc efficitur:

$$\nu_2 = \sqrt{2}.\sqrt[8]{\left(\left(q^{\frac{1}{n}}\right)^{-n^2+2+8.\varphi(1)}\right)}.\frac{\left[1+q^{\frac{2}{n}}\right].\left[1+q^{\frac{4}{n}}\right].\left[1+q^{\frac{6}{n}}\right]\ldots.}{\left[1+q^{\frac{1}{n}}\right].\left[1+q^{\frac{3}{n}}\right].\left[1+q^{\frac{5}{n}}\right]\ldots.},$$

qua in aequatione $\left(q^{\frac{1}{n}}\right)^{\varphi(1)}$ productum esse scimus, quod ex negativis potestatibus, quae insunt in aequatione ($F.$) conflatum est. In qua aequatione ($F.$), statuens m' esse $=1$, $m=0$, ubi factores elegeris, qui negativas in se contineant potestates, non nisi tum, ubi $r=1$ ponitur praetereaque in solo denominatore a fine incipienti tibi sese praebent hi:

$$\left[1+q^{-\frac{n-2}{n}}\right].\left[1+q^{-\frac{n-6}{n}}\right].\left[1+q^{-\frac{n-10}{n}}\right]\ldots.\begin{matrix}\left[1+q^{-\frac{3}{n}}\right] \text{ si } n=4m+1\\ \left[1+q^{-\frac{1}{n}}\right] \text{ si } n=4m-1\end{matrix}$$

quorum productum facile hanc formam induit:

$$q^{-\frac{n^2-1}{8n}}.\left[1+q^{\frac{n-2}{n}}\right].\left[1+q^{\frac{n-6}{n}}\right].\left[1+q^{\frac{n-10}{n}}\right]\ldots.\begin{matrix}\left[1+q^{\frac{3}{n}}\right]\\ \left[1+q^{\frac{1}{n}}\right].\end{matrix}$$

Factor $q^{-\frac{n^2-1}{8n}}$ ex denominatore in numeratorem translatus gignit:

$$q^{\frac{n^2-1}{8n}} = \left(q^{\frac{1}{n}}\right)^{\varphi(1)},$$

unde producitur:

$$\varphi(1) = \frac{n^2-1}{8};$$

ex quibus colligitur:

$$\varphi(m') = \frac{m'(n^2-1)}{4} - \frac{n^2-1}{8}.$$

Qui valor in aequatione $(G.)$ positus, efficit ut ea transeat in:

$$v = \sqrt{2}.\sqrt[8]{\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)}.\frac{\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^2\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^4\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^6\right]\ldots.}{\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^3\right].\left[1+\left(\alpha q^{\frac{1}{n}}\right)^5\right]\ldots.}.$$

Hinc videmus transformationes singulas quamvis in diverso ordine nos lucrari sive ponamus in valore

$$v = u^n.[\sin\operatorname{coam}4\omega.\sin\operatorname{coam}8\omega\ldots.\sin\operatorname{coam}2(n-1)\omega]$$

pro ω:

$$\frac{K}{n},\ \frac{iK'}{n},\ \frac{K+iK'}{n},\ \frac{K+2iK'}{n},\ \ldots.\ \frac{K+(n-1)iK'}{n},$$

sive in aequatione $(C.)$:

$$(C.)\qquad u = \sqrt{2}.\sqrt[8]{q}.\left[\frac{(1+q^2)(1+q^4)(1+q^6)\ldots.}{(1+q)(1+q^3)(1+q^5)\ldots.}\right]$$

pro q scribamus: $q^n,\ q^{\frac{1}{n}},\ \alpha q^{\frac{1}{n}},\ \alpha^2 q^{\frac{1}{n}},\ \ldots.\ \alpha^{n-1}q^{\frac{1}{n}}$.

Ut denique eluceat, ipsum α suos valores omnes accipere, si pro m' singuli numeri 1, 2, 3, ... $n-1$ ponantur, in memoriam revocare sufficiet a congruentia $2m's\equiv 1 \pmod{n}$ pro certo valore ipsius m' unam tantum solutionem, ipso n minorem admitti, ita ut posito $m'=1, 2, 3, \ldots$ $\ldots n-1$ pro s expromantur $n-1$ valores ipso n minores, quos omnes inter se diversos esse patet.

3.

Aequatio modularis, quam inter u et v revera locum habere et cujus gradum esse $n+1$ in §° secunda vidimus, pluribus conditionibus accuratius est determinata, quas nunc afferam.

a) Forma aequationis est haec:

$$v^{n+1}+C_1 v^n + C_2 v^{n-1} + C_3 v^{n-2} + \ldots + C_n v + C_{n+1} = 0,$$

in qua coefficientes C_1, C_2, C_3, ... sunt functiones rationales integrae ipsius u. Terminus constans C_{n+1}, uti ex theoria aequationum algebraicarum notum est, productum radicum exprimit, ita ut secundum §. 1. fiat

$$C_{n+1} = u^{n(n+1)}.\Pi\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4mK+4m'iK'}{n}\right],$$

ubi m et m' valores loco citato exactius definitos assumunt. Si vero aequationem 8. per 9. pag. 66 in *Fund.* dividimus nec non radicem quadraticam extrahimus, habemus

$$\Pi\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4mK+4m'iK'}{n}\right] = \pm\left(\frac{1}{\varkappa}\right)^{\frac{nn-1}{4}} = \pm\left(\frac{1}{u}\right)^{nn-1},$$

ergo:

$$C_{n+1} = \pm\left(\frac{1}{u}\right)^{nn-1}.u^{n(n+1)} = \pm u^{n+1}.$$

Ut de signo hujus termini certiores fiamus, forma omnium radicum, secunda excepta, haec est:

$$v = u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K+4m'iK'}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8K+8m'iK'}{n}\ldots\right.$$
$$\left.\ldots\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)K+2(n-1)m'iK'}{n}\right]$$

quae expressio, valoribus diversis ipsi m' tributis, signum suum minime mutat, cum $\sin\operatorname{coam} u$ quovis multiplo ipsius iK' ad argumentum u addito signum suum servet. Radices igitur omnes idem signum habeant necesse est, quod est ipsius

$$v_1 = u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8K}{n}\ldots\sin\operatorname{coam}\frac{2(n-1)K}{n}\right].$$

Cum vero sit $\sin\operatorname{coam}(u+K) = -\sin\operatorname{am} u$, in hoc producto illos factores, qui argumentum ipso K majus continent, a ceteris separemus, unde evadit pro $n=8r+1$ et $=8r-3$:

$$v_1 = (-1)^{\frac{n-1}{4}}.u^n.\left[\sin\operatorname{coam}\frac{4K}{n}.\sin\operatorname{coam}\frac{8K}{n}\ldots\sin\operatorname{coam}\frac{(n-1)K}{n}\right]\times$$
$$\left[\sin\operatorname{am}\frac{3K}{n}.\sin\operatorname{am}\frac{7K}{n}\ldots\sin\operatorname{am}\frac{(n-2)K}{n}\right];$$

pro $n = 8r - 1$ et $= 8r + 3$:

$$v_1 = (-1)^{\frac{n+1}{4}}.u.\left[\sin\text{coam}\frac{4K}{n}.\sin\text{coam}\frac{8K}{n}\dots\sin\text{coam}\frac{(n-3)K}{n}\right]\times$$
$$\left[\sin\text{am}\frac{K}{n}.\sin\text{am}\frac{5K}{n}\dots\sin\text{am}\frac{(n-2)K}{n}\right],$$

qua ex re manifestum est, radicem primam, ideoque reliquas omnes, secunda excepta habere positiva signa pro $n = 8m \pm 1$, negativa vero pro $n = 8m \pm 3$. Radix secunda semper est positiva. Productum ergo radicum omnium sive C_{n+1} erit positivum sive $= + u^{n+1}$, si n habeat formam $8r \pm 1$, et negativum sive $= -u^{n+1}$, si $n = 8r \pm 3$.

b) Aequationes modulares, commutatis inter se $\varkappa$ et λ, immutatas manere ex *Fund.* §. 29. notum est. Exinde idem valere si u et v inter se commutentur sponte sequitur, dummodo, quod sub sequenti litera facturi sumus, utrum v pro u ipso sit ponendum an pro u negativo, accuratiori examini subjiciamus.

Jam vero ex his concludi potest aequationes respectu tam ad v quam ad u ejusdem gradus esse ita ut coefficientes C_1, C_2, C_3, ... altiorem potestatem ipsius u, quam $(n+1)^{\text{tam}}$ continere nequeant, cum summa potestas ipsius v sit $(n+1)^{\text{ta}}$. Hi coefficientes habent adeo formam certam hanc: $u^m.(\alpha + \beta u^8 + \gamma u^{16} + \delta u^{24} + \dots)$, ubi in parenthesi illae tantum potestates ipsius u inveniuntur, quarum exponentes per 8 divisibiles sunt. Quod ut probetur ex *Fund.* pag. 89 formulam 7. in usum nostrum liceat convertere

$$\sqrt[4]{\varkappa} = u = \sqrt[8]{2}.\sqrt{q}.\left[\frac{(1+q^2)(1+q^4)(1+q^6)\dots}{(1+q)(1+q^3)(1+q^5)\dots}\right]$$
$$= \sqrt{2}.\sqrt[8]{q}.[1 - q + 2q^2 - 3q^3 + 4q^4 - 6q^5 + 9q^6 - 12q^7 + \dots]$$
$$= \sqrt{2}.\sqrt[8]{q}.[f(q)]$$

ergo:

$$u^2 = 2.\sqrt[8]{q^2}.[f(q)]^2,$$
$$u^3 = 2.\sqrt{2}.\sqrt[8]{q^3}.[f(q)]^3,$$
$$u^4 = 4.\sqrt[8]{q^4}.[f(q)]^4,$$
$$\dots\dots\dots$$
$$u^8 = 16.q.[f(q)]^8,$$
$$\dots\dots\dots$$
$$u^{n+1} = \sqrt{2^{n+1}}.\sqrt[8]{q^{n+1}}.[f(q)]^{n+1} = \sqrt{2^{n+1}}.q^{\varepsilon}.\sqrt[8]{q^t}.[f(q)]^{n+1}$$

ubi $n+1=8s+t$ positum est, unde pro $n=8r+1$ fit $t=2$,
- $n=8r+3$ - $t=4$,
- $n=8r-1$ - $t=0$,
- $n=8r-3$ - $t=6$.

In paragrapho secundo unum valorem ipsius v vidimus erui si in valore ipsius u modo allato q^n loco q ponatur, quo facto impetramus:

$$v = \pm\sqrt{2}.\sqrt[8]{q^n}.[f(q^n)],$$
$$v^2 = 2 . \sqrt[8]{q^{2n}}.[f(q^n)]^2,$$
$$v^3 = \pm 2\sqrt{2}.\sqrt[8]{q^{3n}}.[f(q^n)]^3,$$
$$v^4 = 4 . \sqrt[8]{q^{4n}}.[f(q)^n]^4,$$
$$\cdots\cdots\cdots$$
$$v^8 = 16 . q^n.[f(q^n)]^8,$$
$$\cdots\cdots\cdots$$
$$v^{n+1} = \sqrt{2^{n+1}}.\sqrt[8]{q^{n(n+1)}}.[f(q^n)]^{n+1} = \sqrt{2^{n+1}}.q^{s'}.\sqrt[8]{q^t}.[f(q^n)]^{n+1},$$

qui exponens t ipsius q sub signo radicali ab illo t in valore ipsius u^{n+1} differre nequit, cum facile intelligatur numerum $n(n+1)$ per 8 divisum, si n ut impar numerus ponitur, idem residuum habere ac $(n+1)$. Ubi signa duplicia apposita inveniuntur, superius valet pro $n=8m\pm1$, inferius pro $n=8m\pm3$.

Si in aequatione modulari, quae jam tanquam perfecte composita statuenda est pro u et v valores modo dicti ponuntur, termini qui ex v^{n+1} et u^{n+1} nascuntur eandem quantitatem irrationalem $\sqrt[8]{q^t}$ continent neque aliam reliqui omnes termini debent involvere ne quis coëfficientium in aequatione per hanc irrationalitatem divisa irrationalis restet. Potestas igitur quaedam u^m in talem tantum potestatem v^p ducta inveniri potest ut $m+p\equiv t$ (mod. 8) fiat; ideo coefficiens C potestatis v^p in universum habet formam hanc: $\alpha u^m+\beta u^{m+8}+\gamma u^{m+16}+\delta u^{m+24}+\ldots$.

c) Haec productum quod ex prima potestate ipsius u et prima potestate ipsius v formatur in unaquaque aequatione modulari necessario inesse debere satis demonstrant. Tria igitur membra adhuc definita hanc aequationis formam produnt:

$$v^{n+1}+\ldots+\alpha uv\pm u^{n+1} = 0.$$

Cum vero $\varkappa$ et λ inter se commutatis, quo aequationis mutationem quampiam fieri non licet, terminus αuv in se ipsum redire debeat, facile perspicitur *pro* $n = 8m + 1$ *aut* $n = 8m - 1$, cum in ultimo termino aequationis superius signum valeat, u *et* v *ipsa esse inter se commutanda, pro* $n = 8m + 3$ *aut* $n = 8m - 3$, ubi negativum signum locum habet, u *esse ponendum loco* v, *loco* u *autem* $-v$; nullo enim alio pacto terminus $\alpha u v$ signum suum servare potest.

d) Ex illa observatione, quod aequatio modularis u et v inter se commutatis immutata manet, *coefficientes terminorum* $u^m v^p$ *et* $u^p v^m$ *aequales esse* sponte sequitur, *hac vero conditione adjecta ut eorum signa sint contraria, si* n *habeat formam* $8r \pm 3$ *et* p *sit in numeris paribus.*

e) Ex alia nota proprietate (*Fund.* pag. 31) aequationes modulares immutatae manent, si loco u, v ponatur $\frac{1}{u}$, $\frac{1}{v}$ unde *coefficientes terminorum* $u^m . v^p$ *et* $u^{n+1-m} . v^{n+1-p}$ *non diversos esse* patet. Inde sequitur hoc theorema: *Si aequationem secundum potestates descendentes ipsius* v *et factores singulorum terminorum secundum potestates ascendentes ipsius* u *ordinaveris, in terminis qui aeque longo intervallo ab initio atque a fine distant, aequales habebis coefficientes, qui vero pro* $n = 8r \pm 3$ *contrario signo affecti sunt.*

f) Posito $u = 1$, fit etiam $v = 1$ et tali quidem modo ut pro $n = 8r \pm 1$ omnes $(n+1)$ valores ipsius v fiant $= +1$, pro $n = 8r \pm 3$ vero n valores $= -1$, unicus $= +1$. Expressiones enim ipsius v comprehenduntur in hac forma:

$$v = u^n . \Big[\sin \operatorname{coam} \frac{4mK + 4m'iK'}{n} . \sin \operatorname{coam} \frac{8mK + 8m'iK'}{n} \dots$$
$$\dots \sin \operatorname{coam} \frac{2(n-1)mK + 2(n-1)m'iK'}{n} \Big];$$

pro $\sin \operatorname{coam} \frac{4mK + m'iK'}{n}$ vero scribi licet

$$\sin \operatorname{am} \frac{(n-4mp)K - 4m'piK'}{n} = i . \operatorname{tang} \operatorname{am} \left[\frac{n-4mp}{n} . \frac{K}{i} - \frac{4m'p}{n} . K' \right] \text{ (mod. } \varkappa').$$

Posito autem $u = 1$, unde $\varkappa = 1$, $\varkappa' = 0$ transit $\operatorname{tang} \operatorname{am} w$ (mod. $\varkappa'$) in in $\operatorname{tang} w$; ideoque fit:

$$i . \operatorname{tang} \operatorname{am} \left[\frac{n-4mp}{n} . \frac{K}{i} - \frac{4m'p}{n} . K' \right] \text{ (mod. } \varkappa') = i . \operatorname{tang} \left[\frac{n-4mp}{n} . \frac{K}{i} - \frac{4m'p}{n} . K' \right]$$
$$= \frac{e^{\frac{n-4mp}{n} . K - \frac{4m'p}{n} . iK'} - e^{-\frac{n-4mp}{n} . K + \frac{4m'p}{n} . iK'}}{e^{\frac{n-4mp}{n} . K - \frac{4m'p}{n} . iK'} + e^{-\frac{n-4mp}{n} . K + \frac{4m'p}{n} . iK'}} = \frac{1 - e^{-\frac{2(n-4mp)}{n} . K + \frac{8m'p}{n} . iK'}}{1 + e^{-\frac{2(n-4mp)}{n} . K + \frac{8m'p}{n} . iK'}},$$

cum vero pro $\varkappa' = 0$ sit $K = \infty$ et $K' = \frac{\pi}{2}$, efficitur

$$i.\text{tang am}\left[\frac{n-4mp}{n}\cdot\frac{K}{i} - \frac{4m'p}{n}\cdot K'\right] (\text{mod. } 0) = 1;$$

ergo etiam v ad unitatem reducitur, de cujus signo idem prorsus valet, quod sub lit. *a.* hujus §i diximus. Hinc patet *aequationem modularem, ubi ponas* $u = 1$, *pro* $n = 8r \pm 1$ *transire in* $(v-1)^{n+1} = 0$ *et pro* $n = 8r \pm 3$ *in* $(v+1)^n.(v-1) = 0$. Inde summa coefficientium, quibus diversae potestates ipsius u affectae sunt, in quoque termino aequationis secundum potestates ipsius v ordinatae cognoscitur, ita ut singuli quique coefficientes e reliquis determinari possint. Summa enim coefficientium termini v^p:

$$\text{pro } n = 8r \pm 1 \text{ erit } = (-1)^p.P_{n+1}^{n+1-p},$$
$$\text{- } n = 8r \pm 3 \text{ - } = [P_n^{n+1-p} - P_n^{n-p}],$$

ubi in universum per P_m^s coefficientem termini $(s+1)^{ti}$ in evolutione m^{tae} potestatis binomii cujusvis significamus.

§. 4.

